

Rector regia
universitatis Aboensis
Johannes Gezelius J.F.
s. theol. doctor...

Gezelius, Johannes,

82 Aa 16/3



RECTOR REGIÆ UNIVERSITATIS ABOENSIS
JOHANNES GEZELIUS J. F.
S. Theol. Doctor & Prof. Ordinarius.

PATRIBUS, CIVIBUS, LITERARUMQVE PATRONIS ET FAUTORIBUS ALIIS,
PACEM PRECATUR ET SALUTEM A DEO PROPITIO!



Ara narramus Academica. Seculum hocce a nato Jesu decimum septimum, patres nostri inchoarunt, quadraginta annis plena rotunditate quadragies jam tum multiplicatis: Anno autem ejus quadragesimo, natales suos auspiciatissimos hæc nostra Academia habuit. Ea vero vix quadragesimum suum nuper emensa erat annum, primo, unico, optimo Cancellario se destitutam queritur. Magnas sæpe antea vicissitudines, sibi cum aliis communes, quandoque alienas, luxit; nunc in mutationis deploranda, inque proprii damni gravissimi sensum ac dolorem conversa est. Quem ex DEI gratia, ac *Serenissima Regine CHRISTINÆ* munificentia, agnovit fundatorem; Quem ex propensa Ejus indulgentia, experta est patronum perpetuum; Quem rarissimæ fortunæ auspicijs, vel castigatus loquendo, ex celestis providentiæ infinito favore, ultra quadraginta annos benignissimum habuit Cancellarium, ILLUM ILLUM amisit. Eheu! per mortem amisit *Celsissimum Comitem ac Dominum, DOMINUM PETRUM BRAHE, Comitem in Wisingsborg, Lib. Baronem in Cajana, Dominum in Rydholm, Lindholm, Brabellinæ & Bogesund. REGUM ac Regnorum Sueciae & Gothiae, per semiseculum Senatorem summum; & quadraginta circiter annis, Drotzetum magnum: Justitia per universum Svecicum Directorem generalem, nec non Wesmanniae, Montanorum & Dalecarliae Judicem provincialem.* Fatale quid, ut occupavimus dicere, numerus quadragenarius hic insinuat. Circa illum vero subtilitatem Algebraicam nunc non requirimus, nec unquam superstitionem admittimus Cabalisticam: neque, quantumvis miranda in numeris, inventa Pythagorica, aut dogmata Platonica, aut Aegyptiorum mysteria, sed oracula Divina ipsosque rerum eventus, consulimus & admiramur. Post ternarium & septenarium, numeros plane sacros, non alius Divino consilio res & tempora frequentius metitur, quam quadragenarius. Consilio enim id fieri putamus quod sæpe fit, nec fortuito accidere dici potest. In tabernaculo Mosaico, in templis Hierosolymitanis, inque illo Ezekielis typico, quadragena plurima Deus ordinavit. Ast in temporum mensura, longe sapius numerum illum elegit. Terribiles diluvii casus, jucunda terræ Canaan exploratio, peremptorius poenitentiae terminus Ninevitis indictus; miraculosa Moysi, Eliæ & CHRISTI jejunia; gloriosa SALVATORIS vita in terris post resurrectionem; suis erant definienda diebus, at ubique quadraginta repperiuntur. Dies decumbentis Propheta mystici, & anni per illos designati, utrobique quadrageni erant. Quadraginta annorum numero, memorabile maxime fuit iter Israelitarum in deserto, miraculis & eventibus stupendum. Qvieti sub Judicibus Dei populo primum data, illique postea repetita, eadem temporis fuit numeratio. Judicum apud gentem istam penultimus, quadraginta judicavit annis, totidemque illi imperavit rex primus. Regum sapientissimus Salomoh, promissionem à DEO accepit regni felicissimi, verum nec ultra quadragesimum annum extendebatur: quasi ista prosperi regiminis a Deo ordinata esset periodus. Profanas si evolveremus historias, quadraginta imperij annis, felices deprædicaremus CAROLUM Quintum, Caesaresque alios. Inter Reges Sueciae Ericum IIX, ab ubere annona cognominatum, & GUSTAVUM primum, quem illustrissimi BRAHEI nostri avus, avunculum salutavit. Verum sacra nunc quarimus exempla. Ex ijs duo inprimis referemus pijs cogitatis in rem præsentem. MOSES, tribus annorum quadragenis ætatem suam dispartitam habuit, & ultimo quadragenario reipublicæ Israelitarum primus exiit princeps. DAVID, regiam Majestatem in familiam Judæ primus intulit, eamque ipse quadraginta annis gessit. Cum veneratione Divinæ providentiæ, duo exinde colligemus: unum in nostri solatium, alterum in laudem celsissimi Comitis. Prius est, certo speramus, esse ac fore hæc societatem Academicam DEO semper curæ, quandoquidem ejus Statorem, non minore sed eadem illi concessit diuturnitate, ac reipublicæ Israeliticæ regnoque Judaico, sibi charissimis, superstites in terris esse voluit istorum statuum conditores. Beatis vero illustrissimi Herois Manibus, vix dignius quicquam dicere possumus, quam COMITEM PETRUM BRAHE, cum ingenti regni Svecico-Gothici utilitate, cumque inestimabili Aboensis Academiæ incremento, in supremi Senatoris, Drotzeti magni, & Cancellarij Academiæ excellentissima dignitate, Moysi principatum & Davidis regnum, tempore & virtutibus egregijs, felicissime imitatum fuisse. Quod ut appareat evidentijs, vitæ Ejus gloria plenæ, aliquas saltem monstremus lineas. Ipso seculi nostri primordio, anno MDCII, die XIIX, Februarij, stirps paterna BRAHÆ, & materna GYLDENSTIERNIANÆ, amba ab ultima antiquitate, regij & imperatorij sanguinis tinctura, rebusque gestis illustrissimæ, sydus hoc septentrionale, fausto omine orbi dederunt in Rydholm, suæ & regis familiaris Gultavianæ originis sede incluta. Septennalem, per septem Europæ celeberrima regna, peregrinationem, Anno MDCXIX, Comes PETRUS BRAHE aggressus est. Redux, in aula GUSTAVI ADOLPHI, regis vere magni, summum cubicularium, inque ejus commilitio, ferventibus Prussiacis & Germanicis bellis, legionum equestrium chiliarchum egit. Ac postquam in comitijs regni, nobilitium ordinis caput, sublimis prudentiæ singularia ediderat specimina, Anno MDCXXX, Senatoria eminentia fulgere cœpit. Quadriennio elapso, ad generalem totius imperii Germanici conventum, Francofurti ad Mœnum instituendum, Legatus a latere ivit. Opportune suppar & magnitudini operum, & incomparabili istorum temporum post DEUM arbitro, B. Comiti AXELIO OXENSTIERNÆ, Regni Sueciæ Cancellario magno. Borussia illustrissimus Comes postmodum, ut generalis Gubernator, tenuit. Et primarius Legatus in tractatibus de pace cum Rege ac republ. Poloniæ, viginti sex annorum inducias, tempestive sancivit. Tantis jam celebris factis, Magnum Finlandiæ Ducatum, sub gubernatione generali obtinuit per decennium. Patrem illum patriæ hic appellamus, ac quicquid felicitatis Finlandiæ per tantum Patronum accidit, devotis gratijs nunquam non venerabimur. Duo vero sunt opera eximia, nomen illustrissimum Comitis PETRI BRAHE, apud nos æternum & sacrum reddentia, Regiæ intelligimus hujus Academiæ foundationem, ab Illo, Cancellario Magnificentissimo, factam solenni inauguratione a. d. XV. Julij, Anno MDCXL. Et opem Ejus efficacem, in promovenda circa idem tempus integri sacri Codicis versione Fennica, non infideliter ad fontes pro instituto exacta; ejusque impressione nitida procuranda. Dum generalis Gubernator, jucundis ejusmodi curis pro gloria Dei delectatur, Majestati proximus collocatur, & magni Drotzeti sedem, a regio throno secundam, hereditario quasi jure, ab avo PETRO BRAHE SENIORE, & patruo MAGNO ERAHE, Comitibus in Wisingsborg illustrissimis, sibi traditam occupat, ipse virtutibus & donis tanto fastigio dignis, instructissimus. In difficillimis istis temporibus, simul Regiæ CHRISTINÆ, tunc minorennis tutelam, ac regni administrationem, primum inter quinque regni proceres, prospero successu gessit. Bellicam vero celsissimi Drotzeti fortitudinem, duo facinora denno extollunt. Anno MDCXLIV, Gothoburgum, regnorum inferiorum clavem, ab obsidione Danorum, strenua expeditione liberavit: & classem Belgicam auxiliarem, vel tergiversantem, vel transitum per Oeresundam metuentem, in insolitum animavit factum, ut plenis & non demissis velis, fretum hostile periculosissimum, intrepide pertransiret. Quod ipsum austum prudens, omen fuit & initium obtenta mox a Svecis ad Femern insignis victoriæ navalis, adversus Danos. Magno Drotzeto, sic fago non minus quam toga eminenter & undiquaque illustri, amor Finlandiæ rursus pervasit, ut per alterum decennium, generali imperio illam gubernaret; utque vitam suam, Academiam hanc, & amplissimas ditiones, quas ante in ordinem rededit, paternis oculis ac provida sollicitudine, præsens iterum fovaret. Regnante vero invictissimo CAROLO GUSTAVO, gloriosissimæ memoriæ Rege, & contra Polonos, aliosque populos externos, victorioso pugnante, illustrissimus Comes & Drotzetus, non solum pro maximi muneris partibus, cum Senatu regio rerum summam domi tenuit; sed & irruptiones Danorum & Norvegorum in provincias inferiores, eo successu repulit, ut opposita valida manus excellentissimi Drotzeti, generalis belli contra Danos directoris, a Rege constituti, & irruentes ex Polonia copiæ Svecicæ, Rege ipso duce fortissimo, hostem intra terminos antiquos, primum regredi, postea duriora pati, cogerent. Postquam denique funestum initium Anni MDCXLX. Regem optimum & incomparabilem, CAROLUM GUSTAVUM, humanis rebus exemerat, celsissimus Drotzetus, si quis unquam, turbatis patriæ rebus, felices admovit manus. In comitijs Holmensibus ejusdem anni, jure omniac universonum applausu, utpote solus ex prioris interregni proceribus superstes, constituitur primus inter tutores Regis Augustissimi, CAROLI XI. Regis ac Domini nostri clementissimi, tunc minorennis. Per DEUM summi bonitatem, consilio ac ope Drotzeti aliorumque Senatorum Regni excellentissimorum, secuta est pax, in pace florens totius imperii Svecici status. In illo omnes regni incolæ, Comitem PETRUM BRAHE, post Regem & Reginam venerabantur; Ipseque Regis patruus, Sereniss. Princeps JOH. ADOLPHUS, illum ut focerum coluit. SACRA REGIA MAJESTAS, hunc virum suum primum ac supremum, benigno semper recreavit favore. Jucunda sic fruebatur illustrissimus Comes, diebus omnibus gentis & vitæ suæ gloria, donec die XII. novissime elapsi Septembris, ex aula sua Bogesund, & orbe hocce caduco, ad æterna transiret domicilia. Vivendo integrum fere implevit seculum, attingens pæne ætatis suæ annum undecagesimum. Ast virtutum, donorum, meritorum fama & laude, omnia secula, omnes ætates explebit. Quarum laudum aut partem aut summam, hoc scriptionis modulo non est animus comprehendere; saltem hac charta indicare debimus, quibus conatibus Academia suum Cancellarium, Tantum Patronum, Tantarumque virtutum prælustre exemplar, chara, venerabili, perpetua memoria, prosequendum esse existimavit. Dulci Concordiæ nomine, in fastis notabilis est Beati Drotzeti natalis auspiciatissimus, dies XIIX. Februarij, quo Vir DEI B. Lutherus Anno MDCXLIII, de omnibus suis hostibus, in JESU placide moriens, triumphavit. Voluit SALVATOR frequentissimum ac ultimum suum sectanda concordia præceptum, fidelis hujus sui testis emortuali, quemadmodum veritatis studium ejus doctrina, nobis commendare. Statuit proinde Senatus Academicus, non ita pridem unanimi consensu, Illo die annuatim celebranda posthac litterario cultu & devota pietate, magna DEI summi beneficia, quod ante CLXIII. annos per Megalandrum MARTINUM LUTHERUM, reduxerit lumen Evangelii: & quod per Comitem PETRUM BRAHE, Regiam hanc Academiam, Lutherana orthodoxie assertricem, ante annos quadraginta erexerit. Ordietur, Deo favente, solennitatem hanc Academicam, dicto jam tempore, Vir admodum reverendus & amplissimus, Dn. ENEVALDUS SVENONIUS, S. Theol. Doctor, Professor primarius, & Ecclesiarum civitatis Pastor meritissimus. Obitum vero celsissimi Cancellarij, lugubribus orationibus lamentabuntur Viri Eruditissimi, plurimum reverendus & præclarissimus, Mag. PETRUS LAURBECCHIUS, Poeseos Professor celeberrimus, die Jovis, live quarta hujus mensis; Et præclarissimus Dn. ERICUS FALANDER, Lingvar. Hebr. & Græcæ professor laudatissimus, die Mercurij, h. e. III. mensis jam inchoati. Circa sepulturæ tempus, parentali sermone illustrissimi Comitis funus prosequetur V. Cl. M. DANIEL ACHRELIUS, Eloquentiæ Prof. ordinarius: Pia ista officia cras inchoabit clarissimus M. ANDREAS WANOCCHIUS, Physices Prof. extraord. & Academia Secretarius. Ad audienda Academica hæcce nãnia, diebus singulis post preces matutinas, in auditorio maximo instituenda, proluxa invitatione apud neminem egemus. Patrum & civium Academicorum præsentiam, vi meritorum Cancellarij desideratissimi, postulamus. De cetero novimus, generosa & honorata Regij Judicij apud nos membra, Antistiti suo olim excellentissimo; Eximios urbis incolas, suo olim Gubernatori generali; Ac quosvis in universum hospites egregios, supremo Regni Senatori, & Drotzeto, ætate, meritis, felicitate, sine exemplo magno, ullum laudis aut honoris officium denegare, nec sponte velle, nec jure posse. P. P. Aboæ ipsi Calendis Novembris, memoriæ omnium Sanctorum, sacris Anno MDCXXX.

1011133

Nov. 16 80

